

non nisi unicam hostiam offerre solitus, sabbato jubetur offerre geminam. Itaque pia vel honesta saltem occupatio quaerenda est. Dormire eo usque quoad missa negligatur, duplex peccatum est: spectare perpetuo e fenestra homines, periculosum est: quia id Davidem everfit. Nihil omnino agere, tempus perdit et docet male agere. Ut enim lapides molares, si vacui currant, non affuso frumento seipsos atterunt, quin et molendinum, excitato per affricum vehementem igne, incendunt: ita mens hominis vigilantis, quia semper in aliquo motu et cogitatione est, nisi rei honestae objecto sese occupet, seipsam otio perdet et ignem variae concupiscentiae in seipsa et annexa carne excitabit.

Ita demum fit, ut festa non jam Dei festa, sed nostra fiant: dum fere totum diem ad nostras voluptates trahimus. Unde Isa. I. ait: *Calendas vestras et solemnitates vestras odit anima mea: facta sunt mihi molesta: laboravi sustinens. Impleturque in daemone vel saltem in mundo, quod dicitur de Nabuchodonosore, Habac. I. Totum in humo sublevavit. Super haec laetabitur et exultabit. Vel certe quod Amos III. dicitur: Quomodo si eruat pastor duo crura de ore leonis, aut extremum auriculæ, sic eruentur filii Israel. Duo crura, duo sunt pedes, quibus ad audiendam missam itur, extremum auriculæ est particula concionis auditæ. Hæ solummodo portiunculæ in Dei manu remanent, totum reliquum festivitatis tempus aufert secum diabolus in multis saltem hominibus, quandoque etiam totum festum diem sublevat in hamo; videlicet in illis, qui nec ad rem divinam accedunt. En quot modis et quam facile perdamus Dominum Jesum! Et non dolebimus nec præcavebimus tantam jacturam? Considerate quantum doluerint B. Virgo et Joseph ob amissum Jesum, tametsi eum secundum corporalem tantum præsentiam et ad breve tempus nulla sua culpa perdididerant. Quanto plus dolendum, si quis ejus gratiam sua culpa perdat? Heli cum audivit arcam fœderis ab Israelitis perditam, et ab hoste captam, præ dolore cecidit de sella retrorsum et fractis cervicibus mortuus est. Nurus ejus similiter præ dolore pariens extincta est, I. Reg. IV. Longe majus damnum facimus ac patimur, cum Christum ejusque gratiam per peccatum perdimus. Doleamus ergo si hoc fecimus; si non fecimus, caveamus; ne cum dolore eum requirere cogamur, forsitan non inventuri.*

CONCIO IV.

QUARE CHRISTUS EJUSQUE GRATIA TAM CITO ET FACILE A QUIBUSDAM PERDATUR.

A multis post has ferias iterum perditur Christus. — I. Cum descendimus et remittimus a concepto fervore. — II. Cum propositi nostri obliviscimur. — III. Cum turbis malarum societatum nos miscemus. — IV. Cum non curamus vitare peccata venialia. — V. Cum priorum peccatorum dulcedinem in memoriam revocamus. — VI. Cum Dei gratiam acceptam non æstimamus, quanta æstimanda est. — VII. Cum temere putamus, non esse periculum, ubi tamen est.

THEMA.

Remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus. Luc. II.

Bene dixit Sapiens, Prov. XIV. *Extrema gaudia luctus occupat.* Gavisus sumus per hos dies, quando Christum Salvatorem invenimus cum pastoribus, et rursus cum tribus regibus. Sed en quam breve gaudium! Hodie, quem invenimus, iterum perdidimus. Quamquam luctus iste non diuturnus fuit, nam post diem tertium rursus invenimus eum; magis dolendum est, quod multi Christiani, postquam his diebus invenerunt Christum et in corde suo reposuerunt, iterum deperdant, longe majori damno suo, quam perdidissent eum parentes ejus. Et quomodo tandem fit hoc? Cujus et incuria? *Non cognoverunt parentes ejus*, ait. s. textus de Christi amissione. Puto idem multis contingere, nescire se quomodo perdat Christum. Videamus igitur nunc, quomodo id contingat.

I. Christus fuit perditus in descensu parentum ex Jerusalem, non in ascensu. Simili modo contigit ut Christum amittamus, cum descendimus a concepto fervore et relaxamus pia opera, quæ in ascensu ad poenitentiam facere incepimus. Novimus enim ex Domini verbo, diabolus semel ejectus, quando invenit domum, e qua pulsus est, vacantem a bonis scilicet operibus, reditum moliri et facile invenire.

Sed dices: Si domus scopis mundata et ornata est, quomodo daemone parata? Respondeo mundari scopis domum, non solum ab industria matrisfamilias, quæ a sordibus eam purgat; sed etiam ab otiosa et prodiga, quæ sua inertia et prodigalitate paulatim suppellectilem omnem, ipsamque domum exhaurit, oppignorat aut vendit: tunc enim domum suam adornat et emundat, non sibi, sed creditori. Ita qui cor suum virtutibus evacuat et bonis operibus destituit, peccata venialia sine metu committit, is parat et exprimat eam ad habitandum daemone. Amale-

citæ post peractam et abactam prædam ex Si-celeg, in campo discumbentes, comedentes et bibentes, a Davide ejusque militibus obruuntur et cæduntur prædaque spoliantur, I. Reg. XXX. Sic fortasse jam dicent aliqui: Spoliavimus infernum, dum his sacris diebus per confessionem et communionem ascendimus ad Deum, ergo et jam comedamus et bibamus: *Jam non est Satan, neque occursum malus.* Interim dum remittimus non nihil a concepto fervore et spiritu intepescimus, ac pericula peccandi rursus adimus, pia opera intermittimus, repente obruit nos malignus hostis et despoliat atque in pristinam servitutem retrahit.

II. Forsan ideo Christus perditus fuit, quia parentes subinde occupati aliis negotiis, ejus quasi obliti non semper ad ipsum respexerunt. Ita post peractam poenitentiam et acquisitam Dei gratiam, rursus aliqui perditur Christum, quia propositum emendandæ vitæ, cum quo ad Deum ascendunt, postea obliti, non curant renovare. Certe ex hac causa videtur lapsus Petrus et Christum abnegasse, qui prædicationis Christi, et sui, quod conceperat, propositi (se Christum minime negaturum, tametsi omnes alii negarent) memor esse desiit: quomodo enim alias, si recordatus fuisset momentis magistri, et suæ tam cordatæ promissionis, negare potuisset? Patet ergo quantum obsit oblivio propositi prius concepti. Hinc Anna illa mater Samuelis, ut memor esset voti sui, quo filium a Deo acceptum ei devoverat, appellavit eum *Samuel*, id est, *positum*, seu *datum a Deo*: et cum eo educavit vitulum, ut post triennium oblatura filium, in aspectu vituli, voti sui memor esset, ut vult Theodoretus, I. Reg. I. ex Septuaginta interpretibus qui legunt *cum triennali vitulo*, non, *cum tribus vitulis*. Antiqui Christiani carentibus notis nomen Jesu vel crucis carni inscribebant, ut earum intuitu crebro instaurarent memoriam baptismi et voti sui, teste Procopio, in c. XLIV. Isa. Utinam nos modo nostra bona proposita fortiter imprimeremus saltem memoria!

III. Forsan ideo Christus amissus fuit, quia parentes ejus una cum ipso in turbam hominum inciderunt, quæ tunc multa Jerosolymis congregata fuit. Ex hoc etiam capite multi in lapsus recidunt, quia turbis se immiscunt malarum societatum, vel ad sæcularia negotia, verba et cogitationes rursus se effundunt, timore Dei abjecto. Sic prodigus ille deserta patria, dum abiit in regiones exterius pravas sectatus societates, omnia sua dissipavit, imo seipsum perdidit (inde appellamus eum perditum filium) qui domi

omnia servasset. In Africa excelsus mons porrigitur in longitudinem ducentorum stadiorum, (quinque milliaribus Germanis) qui silvestribus abundat felibus; quo fit, ut nullæ omnino aves ibi neque in arboribus, neque in vallibus, nidus extruant, ob periculum amittendi pullos, Diodor. lib. XX. Par periculum imminet iis, qui in turba vivunt, ne iterum Christum perdant: mundus enim est talium felium et insidiatorum plenus; non dico fugiendos homines, mundum deserendum, in religionem intrandum; sed in mundo non nidificandum, non contrahendam cum dissolutis familiaritatem, non munuscula danda aut accipienda, non adhærendum malis. Magi non hæserunt Jerosolymis, non dederunt munera Herodi, sed cito transierunt: sic immunes fuerunt. Ergo aviculæ sciunt sibi et suis pullis cavere, et homo nescit? Magi gentiles norunt se extrahere ex insidiis Herodis, et non scient Christiani?

IV. Quid si ideo perditus quia cum coævis sibi pueris conversationis gratia sibimet relictus est? Quidquid de hoc sit, illud certum est multos iterum labi mox in peccata mortalia, quia non cavent venialia, quæ sunt quasi pueri respectu mortalium, quæ sunt quasi viri, ut docet Sanctus Thomas, I. II. q. LXXXVIII. art. VI. ad 1. cum ait: *Veniale differt a mortali, sicut imperfectum a perfecto, ut puer a viro, fit autem ex puero vir, etc.* Peccata venialia quasi parvi sunt furunculi, qui ubi per foramen domus ingressi sunt, ostium aperiunt magnis furibus. Par ratio est de proximis peccandi occasionibus, a quibus ad peccatum facillimus est lapsus. Occasionibus illæ quasi pueri sunt, e quibus tamen viri fiunt. Hinc Nazareis olim, qui votum non bibendi vinum fecerant, uvas etiam non modo recentes, sed etiam passas edere prohibitum fuit, Num. VI. quia uvæ vino cognatæ sunt, et ex uvarum comestione facilis est transitus ad vini potum. Eadem de causa prohibuit Deus jure fœdera et connubia cum gentilibus, Deut. II. quia ut dicitur III. Regum XI. *Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras (filias); certissime enim avertent corda vestra, ut sequamini deos earum.* Ecce etiam ingressum prohibet Hebræis ad filias gentiles; quia ex ingressu sequitur colloquium et conversatio, ex hac amor et luxuria. Par periculum est in conviviis et comotationibus, quæ quia adiit Holofernes, Amnon, Simon et alii, hinc inebriati et postea occisi sunt. Par ratio de spectaculis obscenis, quæ, ut scribit S. Augustinus, lib. VI. confess. cap. VIII. illaquearunt quemdam contubernalem suum Alypium, qui cum primo aversaretur sanguinaria

spectacula, tandem aliquando a suis condiscipulis quasi violenter ad ea adductus est; qui tamen ne caperetur illorum vanitate, statuit interea claudere oculos, idque fecit. Verum cum repente ingens clamor populi ortus esset ob unius casum, aperuit oculos et gravius cecidit, quam qui protestatus fuerat. Vidit enim sanguinem, et captus est voluptate cruenti spectaculi, et jam sociis similis factus. *Quid plura?* inquit ibi Aug. *Spectavit, clamavit, exarsit, abstulit inde secum insaniam, quæ stimularetur redire non tantum cum illis, a quibus abstractus est, sed etiam præ illis et alios trahens.*

V. Forsan amissus est, quia remiserunt eum parentes ad comitatum, cum quo prius ascenderat, et a quo tamen postea se subduxit. Multi post peractam poenitentiam remittunt cogitationem et memoriam suam ad pristina peccata, carnis præsertim; et dum ea mente revolvunt, etiam bona intentione, sæpe inescantur, hærentque ut aviculæ in visco morosæ delectationis, et ita per consensum sive expressum sive tacitum redeunt in peccatum: sicut quidam e puteo extractus et interrogatus, quo modo incidisset, dum monstrat gestibus lapsum suum, minus tamen caute rursus in eundem delapsus esse dicitur. Hac de causa non suaderem dimissa carnis peccata sæpius (etiam poenitentiae causa) reducere in memoriam, vel in confessione generali crebrius repetere, quia recogitantem facile inviscent. Hinc, opinor, angelus familiæ Loth prohibuit, ne retro respicerent, exeuntes e Sodomis; quid enim impurissimæ Sodomæ incendium, nisi ardor libidinis? Ita S. Gregor. III. p. pastor admon. XXVIII. *Ardentem Sodomam fugere, inquit, est illicita carnis incendia declinare.* Quid vero est respicere ad incendium Sodomæ, nisi cogitationem ad peccata carnis reflectere? Et quia uxor ejus mandatum hoc transgressa est, in statuam salis mutata est, Gen. XIX. Cur in statuam? Ut poenam daret suæ levitatis et instabilitatis. Cur in statuam salis, pro condimento aliorum, vel in memoriam peccati ejus, quo retrospexit, quia sicut sal ex aqua fit, et si aquam tangat, iterum in aquam mutatur ac liquescit, ita qui vel cogitatione morosa ad pristina peccata se convertit, facile ad ea redit, ut expertus est civis Comensis, qui ejectam, sed redeuntem ad se pellicem moriens cum aspiceret, iterum ejus amore, sola licet cogitatione, captus obiit et in tartarum ruit, in pædagogo christiano refert Philippus Daultreman.

VI. Quid si inter comites ideo forsam amissus fuit, quia ipsi non magnam ejus curam habuerunt: non æstimantes ipsum Deum esse sed ho-

minem præcise, pauperum parentum filium? Ita eos tunc sensit de puero Jesu nullum mihi dubium est. Hæc sane de causa plurimi facile nimis post actam poenitentiam perdunt Christum ejusque gratiam, qui eam non tanti æstimant ac debent: nesciunt pretium ejus, quemadmodum et Judas nesciit pretium magistri sui, unde eum triginta argenteorum vilissimo pretio vendidit. *Decorum pretium* id appellatur a Deo, Zac. XI. et projici jubetur ad statuarium. Nihil plurius æstimant Christum ii, qui pro uno grandi poculo, pro unius floreni furto, uno turpi osculo aut contactu Christum vendendo perdunt. *Quid enim est perdere? Alienare,* inquit S. Bernard. ser. I. in cœna Domini. *Dominum vendit, qui a se Dominum alienat.* Unde cit. loco Zachariæ in plurali dicitur: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteis.* Ergone plures vendunt Christum, non Judas solus? Utique, qui videlicet pro levissimo lucro, voluptate aut puncto honoris eum a se alienant. Non sic nos auditores. Dicamus potius quod pius ille Naboth impio Achabo vineam ejus emere desideranti dixit: *Propitius mihi sit Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi,* III. Reg. II.

VII. Ideo amissum reor, quia parentes ejus existimabant eum esse in comitatu, ut indicat evangelium. Putabant enim illum præcessisse cum cognatis et vicinis, cum quibus probabiliter etiam ascenderat. Vel secundum Haymonem, in hom. hod. quia viri et mulieres separatim ibant, pueri autem cum patre aut matre, putabat mater eum esse cum viro, Joseph esse cum matre. Hic etiam est communis scopulus, in quo impingunt plurimi, et perdunt Christum: putant enim non esse periculum, ubi maximum est. Putant virum aut juvenem hunc modestum esse, convivium et saltum honestum, lucrum et contractum tolerabilem, haustos liberaliores sibi non nocituros, vindictam esse justam, etc. et dum sibi ac causæ nimium favent ac perfidunt, ambulantes in glacie, quam fortiter induratam existimant, decipiuntur, ac rupta glacie merguntur. « Ante annum in non longinqua ab hac regione villa (ait Petrus Damiani, in epist. ad summos pontifices, l. I. epist.) contigisse dicitur, quod quidam agricola vix erumpente crepusculo mature surrexit, et enormis draconem magnitudinis vidit quem, quia lignum putavit, mox se super eum ad sedendum quasi in trabe composuit. Commota protinus bestia caput attollit, hominem cruento ore pervadit, sicque viventem, sub momento rabida voracitate deglutiit. » Draco hic quiescens et forsitan dormiens trabem referebat. Quis hic periculum vidisset?

Quis in specie trabis draconem quæsisisset? Ita prorsus multi, dum se versari inter bonos, et sedere sub trabem credunt, sedent super draconem, quemadmodum Dina illa egressa paulo longius, ut videret filias regionis Sichimorum, visa est a juvene Sichem, et per raptum violata, Gen. XXXIV. Non putavit illa in puellarum societate esse juvenem, et latere prædonem unum.

Quid igitur faciendum: *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum,* ait Michæas, c. VI. *Sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Noli a conspectu Dei longius recedere, semper illum præ oculis habe: semper cum illo ambula. Sic ambulavit cum Deo Henoch, Gen. V. sic cum Deo ambulavit Noe, Gen. VI. sic Deum non amiserunt, sic ipsi non perierunt, sic amici Dei constanter permanserunt.

CONCIO V.

QUID EGERIT CHRISTUS AB ANNO DUODECIMO USQUE AD TRIGESIMUM.

I. Vixit sicut aquila in sublimi contemplationis studio. — II. Vixit sicut coluber in terra, per exercitium humilitatis. — III. Fuit velut navis in medio mari, per exercitium obedientiæ. — IV. Vixit sicut vir in adolescentia per morum gravitatem.

THEMA.

Descendit cum eis et venit Nazareth, et erat subditus illis. Luc. II.

Sapientissimus rex Salomon, qui rerum omnium naturalium scientiam callebat, tria sibi fatetur scitu fuisse difficilia, quartum vero se penitus ignorare, Prov. XXX. Tria difficilia asserit: *Viam aquilæ in celo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari.* Quartum vero ait: *Viam viri in adolescentia.* De quo ultimo Sanctus Ambros. in lib. de Salomone, c. V. *Christus, inquit, est vir, cujus via cognosci in juventute non possunt. Quis enim æstimare animo possit aut capere, quanta ille opera exercuerit, etc.* Tacuerunt certe vitam Christi ab anno duodecimo usque ad trigesimum ætatis ejus evangelistæ, videtur tamen Salomon non in quarto dumtaxat difficili, sed etiam in tribus aliis nonnihil adumbrasse, et quasi in ænigmate nobis indicasse, qualia fuerint exercitia Salvatoris nostri in ejus adolescentia; quæ hic expendemus.

I. Fuit quasi *aquila in celo*, per studium orationis et contemplationis assiduum. Putant recentiores aliqui, Cajetanus, Abulensis, Dionysius Carthusian. eum mechanicam artem fabrilem una cum S. Josepho exercuisse: S. Justinus, in

dialog. cum Tryph. aratra et juga fecisse, eo quod a Judæis vocaretur faber: virum S. Aug. lib. II. de consensu evang. c. XLII. ideo fabrum solum appellatam vult, quod putarent fabri filium. Et Paulus Burgen. episcopus, in c. VI. Marci arbitratur magis Christum contemplationi vacasse, sicut præcursor ejus Joannes, adeoque vitam alicujus religiosi duxisse. Quod omnino credibilius eique convenientius, tametsi forte se domi occupabat etiam actione aliqua fabrili, qualem S. Justinus meminit. Ergo instar aquilæ in celo ut plurimum volabat, et solem divinitatis contemplabatur, versabaturque cum ephebis suis, angelis ibi deliciabatur, ut simul etiam nos ad studium orationis provocaret, juxta id Deut. XXXII. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos.* Tametsi vero ita continuo cum ipso in celo versari non possumus, vult tamen ut subinde ut pulli plumescentes nido paucum evolemus: sicut aquila pullos nido adherentes adeoque evolare metuentes, sic volatu provocat, ac nisi egrediantur, inedia conficit, demum etiam rostro pungit, eicitque, teste Pierio, Plinio et aliis. Quid enim est Christianus nisi imitator Christi? *Religionis summa est, imitari quem colis,* ait S. Aug. l. VIII. de civ. c. XVII. Ergo saltem aliquid temporis meditationi et orationi dandum, ut missa quotidiana, lectio spiritualis uti vitæ Christi, ss. rosarium, consideratio novissimorum.

At vero plerique Christiani, quod dolendum, non ut aquilæ in celo, sed potius velut anseres in terra semper hærent. Ut enim anseres de stramine ad gramen, de gramine ad flumen, de flumine ad gramen, inde iterum ad stramen redeunt: sic plurimi in lecto usque ad octavam horam, in mensa duabus vel tribus horis, reliquo tempore ad ludum sedent. De lecto ad fornacem, de hac ad fenestram, de fenestra ad mensam, de mensa ad lusum, de lusu ad lectum redeunt. Et quid mirum, si tam inertes pullos castiget subinde is, qui ut aquila exemplo suo provocavit eos ad volandum?

II. Fuit *coluber super petram* per exercitium humilitatis. Nam et Christus seipsum serpenti comparat, Jo. III. quia formam serpentis, id est, peccatoris induit, etsi a veneno peccati immunis. Coluber dicitur serpens, quia umbras colit. Talis erat Christus in sua adolescentia, quia profundissima humilitate humi repens in petra Nazarethana (supra petram extracta ut Beda Adriacom. et alii referunt) colebat umbras; quia in vili oppido et humili casa latebat. Unde bene dicitur, Lu. II. a Jerusalem descendisse, et venisse in Nazareth, a qua nihil magni aut boni

expectabant Judæi. Itaque multum ibi fecit dum obscurus tam diu latens suamque divinitatem abscondens, nullum miraculum fecit. Hoc ipsum enim erat multo maximum miraculum. Quis namque non uritur dum ignotus alieno loco, eruditione interim vel genere clarus, vilis reputatur? Quam ægre talis se continet, quominus doctrinam suam et genus ostendat? Cogitate Alexium quid sentire debuerit in paterna domo ignotus ideoque velut mendicus ab omnibus contemptus et neglectus? Interim tamen sicut serpens sine pedibus et scalis, gradiens in pectore, et per angusta foramina, tandem ad verticem montis adrepat: ita etiam Christus per hanc sui despicientiam et depressionem ascendit ad summam æstimationem, et Judæorum admirationem; adeo ut dicerent: *Quomodo hic litteras scit cum non didicerit? Unde hujus sapientia hæc? Unde huic hæc omnia?* Quasi dicerent: Nihil in eo magni antea vidimus qui neque scholas adiit, neque litteratos parentes habuit. Qui ergo ad honoris apicem contendit, hanc viam tenere debet, cum Christo se deprimere et abscondere, humi repere, in umbra latere. Proinde errant illi, qui contrariam ineuntes viam, per fastum, pompam, potentiam, ad gloriam nituntur. Refert Justinus historicus, lib. XVIII. de servis Tyrriis, quod cum heris suis sub jugum actis imperium Tyri capesserent, statuerint e suo numero eum regem eligere, qui orientem solem primus vidisset. Omnes igitur ad orientem vultus convertebant, unus dumtaxat a priore domino suo edoctus, ad occidentem oculos direxit; ubi incidentes in montium cacumina radii, solem ipsi primo ostenderunt. Sic iste rex electus est. Quid agunt plerique homines ut magni evadant? Ad orientem se convertunt, honores ambiunt, magnates prehensant, munera offerunt, splendida convivia instituunt, pompam famulorum adsciscunt, vestium apparatus adhibent; interim revera parum aut nihil efficiunt, et coram Deo servi manent. Quare tu, si regiam cæli dignitatem consequi velis, non ad honores sæculi, sed ad despectum: non ad ortum, sed occasum te converte. Sane Alphonsus rex Aragonum, cum esset multis Neapolitanorum proceribus invisus et potissimum Andegavensi factioni, tum demum diligere coepit posteaquam deprehensus in venatione adjuvisse sua manu carbonarium, in sublevando asino e profundo luto, Panormi. in ejus gestis. Hac via Carolomanus e regia Francorum stirpe, dum in S. Benedicti religione pastorem ovium egit: Sancta Elisabetha Hungariæ regis filia, dum leprosis serviit, ut ulcerosos lavit, majorem sibi gloriam, non solum in cælo,

sed etiam in hoc mundo compararunt, quam qui armis et victoriis regna acquisierunt, aut ea dilatarunt.

III. *Fuit navis in medio mari*, per exercitium obedientiæ. Quemadmodum enim navis, ingens licet, una manu temonem vertente regitur et vertitur ad nutum; ita Christus cum esset Deus immensus, sub manu tamen et imperio parentum summa in obedientia vixit, ut asserit Lucas illis verbis: *Et erat subditus illis*. Navis certe fuit; pretiosissimis non solum mercibus onusta, sed præterea etiam sapientissima, seipsam dirigere sciens, et omnes vias circumspiciens, nihilominus se navarchis, Josepho et matri permisit gubernandum. Posset quis non immerito dubitare, cuinam competeret directio familiæ Josephi-Christo? Poterat is quidem ac debebat velut Deus, sed cum esset filius in domo, respuebat. B. Virgini? Sed erat sponsa Josephi; ei subjecta, et simul filia filii sui. Josepho? Debebat sane ei velut capiti familiæ, sed quomodo rudis opifex imperaret Deo et sapientissimæ matri ejus? Christus sol, Deipara luna, Josephus quasi stella erat. Tres domini et tres servi. Quis eorum imperabit? Quis serviet? Nimirum qui in omnibus virtutibus primas semper tenuit, hic etiam vincere debet. Sol ergo lunæ et stellæ se subiecit. Quis hic non stupescat? Ipsa Dei sapientia regitur a fabro ejusque conjuge! Credibile est Josephum quædam imperasse velut hominem mechanicum, minus sapienter, uti indicat ipse Christus in hodierno evangelio: *Nesciebatis, etc.* obediit tamen Christus, *et erat subditus illis*. At quamdiu subditus fuit? Ab anno 11. usque ad 18. quando adolescentes jam cristas suas erigunt. Ab anno 18. usque ad 24. quando jam temeraria consilia capiunt, militiæ aut matrimonio se implicant. Ab anno 24. usque ad 30. quando jam emancipati omnes liberi ab imperio parentum et sui juris esse volunt. Denique in qua re? In omnibus. Cum enim paupercula Josephi familia famulum alere non posset, domestica quæque officia obiisse Christum Dominum nemo dubitabit.

Jam vero, si hæc Dei Filius, non submittemus nos vermiculi terræ ductoribus nostris, fratribus, magistratibus, præceptoribus? Nos velut fragiles naviculæ in medio mari periclitamur unde navarcho indigemus, sine quo peribimus. Viderunt hoc sancti aliquot. Ideo S. Franciscus fratrem unum constituit, qui ipsum errantem liberrime corrigeret. S. Carolus Borromæus duos clericos in eundem aluit finem. S. Elisabetha Cornado confessario suo totam se subiecit gubernandam, edito etiam ad hoc voto. S. Marg-

reta Scotiæ regina, ne qua peccati macula in ipsa resideret, crebro suum admonebat confessarium, ut quidquid in ipsius dictis aut factis reprehensione dignum inveniret, id secreto indicare non dubitaret. Quod cum ille rarius et remissius, quam ipsa vellet, faceret, importunam se ingerebat: somnolentum illum et suæ salutis incuriosum ac negligentem vocitans, ita Lipelous, in ejus vita, 10. jun.

IV. *Fuit vir in adolescentia*; per morum gravitatem, modestiam et maturitatem. Ideo enim inter alias causas humanam carnem induit, ut in ea divinam videndi rationem exprimeret: quemadmodum et angeli in assumptis corporibus mores ostendunt angelicos. Regiæ personæ etiam sub laceris centonibus regios animos produnt; et agnoscuntur ex suis moribus. Ergo vel solus Christi aspectus concio quædam fuit, quo fine etiam S. Francis. ibat per urbem cum fratre suo, ut sola modestia sua erudiret homines, dicebatque: *Eamus concionatum*.

Fuit igitur vir in adolescentia multo magis, quam Tobias senior, de quo dicitur in ejus lib. cap. I. « Cum esset junior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile gessit in opere. Denique cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroam fecerat rex Israel, hic solus consorsia omnium fugiebat, sed pergebat in Jerusalem ad templum Domini et ibi adorabat Dominum. » Si hoc Tobias, quid egisse putamus Christum? Ergo, o adolescentes, quando alii eunt ad vitulos aureos, ad ludos, et choreas, ad tabernas, ad gynæcæa, ad sphæristeria, vos ad officium, ad museum, ad oratorium pergite: quia hæc virilia sunt, illa puerilia; hæc seria, illa ludicra.

Fuit vir longe magis quam Sanctus Bernardinus Sennen. ordinis Sancti Francisci, quo teste ejus professore Joanne Spoletano, nullus scholasticus visus integrior magisque pudicus, ut in vita, 20. maii, apud Surium, adeo ut ejus condiscipuli, si quid minus pudicum loquerentur, eo adventante dicerent: *Tacet, Bernardinus venit*. Et si quis eo præsentem tale quid dixisset, ita rubore perfunderetur, ac si in faciem cæsus esset. Civem etiam tale quid loquentem sub mento graviter percussit et ad compunctionem perduxit. Alium quemdam nefarium quid ab eo petentem, junctis sibi condiscipulis, lapidibus impetiit. Non dubium esse potest, quin etiam ad præsentiam Christi pueri vel juvenuli, fuerint et Judæi ad modestiam compositi, et a levitibus absterriti.

Fuit vir longe magis quam S. Sabbas abbas qui ob morum gravitatem et modestiam in mo-

nasterio S. Euthymii, *Puer senex*, ab ipso est appellatus. Quis enim senior illo, qui ab æterno fuit? Et hic tamen puer fuit, sed senili prudentia, senili gravitate, imo plus quam senili, nimirum divina. Hanc prudentiam et gravitatem jam per radios saltem aliquos demonstrare cepit in patria sua, ut viam sibi pararet per vitæ sanctitatem ad lucandas animas.

Quando igitur tanta nobis exempla contemplationis, humilitatis, obedientiæ, modestiæ in se depinxit Christus eo tempore, quo latuit in Nazareth, sat multum profecto fecit. Habemus enim exemplar veri Christiani, quod si imitari volumus, nihil aliud a nobis magnopere exigitur. Claudio itaque cum D. August. in Psal. CXII. *Sit senectus vestra puerilis, et pueritia senilis, id est, ut nec sapientia vestra sit cum superbia, nec humilitas sine sapientia, ut laudetis Dominum ex hoc nunc in sæculum*.

CONCIO VI.

QUARE CHRISTUS ADOLESCENTIAM SUAM ABSCONDITAM VOLUERIT.

I. Ne ab invidis ante tempus occideretur. — II. Ut majorem suæ missioni fidem conciliaret apud Judæos. — III. Ut doceret teneram ætatem sedulo custodiendam. — IV. Ut doceret juvenes rationem se tuendi contra tot pericula. — V. Ut nos informaret, qua ratione in mundo conversari absque salutis periculo possimus.

THEMA.

Descendit cum eis, et venit in Nazareth. Luc. II.

Magno desiderio tenebatur aliquando Moyses videndi faciem Dei, Exod. XXXIII. *Si inveni, inquit ad Deum, gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam*. Sed respondit ei Dominus: *Videbis posteriora mea, faciem autem videre non poteris*. Itaque vidit transeuntem coram se Deum, sed a tergo, non a facie. Quid hoc in figura? Transeuntem per hunc mundum vidimus Dei Filium, sed qua ratione? Posteriorem vitæ ejus periodum vidimus, priorem non vidimus: quid ab anno trigesimo ætatis usque ad mortem egerit, scimus; quid ab ineunte ætate et anno 12. usque ad annum 30. fecerit, nescimus. Tergum igitur vidimus, faciem non vidimus. Sed cur ita Domine? Cur faciem tuam abscondis? Ostende nobis faciem tuam, et quid in juventute tua egeris, aperi nobis. Ad hoc respondet sicut Moysi: *Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris*. Descendit enim in Nazareth, h. e. in